Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1517
Quelle:
Copyright:

2. *edit.* p. 535. legitur: *Videre est miro modo quodlibet Regnum magis in uno vitio mortali laborare, ut Francigenae in superbia, Flandri et* (Ms. *Renus*) *Australes in luxuria, Almani uel Teutonici in auaritia, bohemi et poloni in gula. Et ita de aliis.* Ubi *Anglia?* Et an *Hussus* ita indifferenter de Popularibus suis? *Quarto fol.* 94. *edit.* p. 539. agitur de Cultellis, *quos solent* (ms. *Deca*) *dycam captum a teutunico nuncupare.* Nonne *Angli*, quorum *Dag*, *Dagger*, ut vult *Johnsonus*, a Gallico *Dague*, potius autem una cum Gallico hoc vocabulo ab antiquato Teutonico *Dag*, *Dacke*, Cuspide, quod etiamnum in *Zacke*, *Tacke*, *Degen* superest, derivatur? Bene igitur Librarius noster *Bohemus* vocem hanc *Deca* seu *Dyca* Popularibus suis ignotam in margine *Mecz dluhy* reddidit. *Quinto fol.* 95. *edit.* p. 539. occurrunt *Curienses atque Burgenses.* Nescio, an posterior adpellatio in usu Bohemorum fuerit, videorque mihi videre Anglicum *Burgess.* *Sexto fol. eod.* p. 2. *edit.* p. 540. item *fol.* 96. p. 2. *edit.* p. 541. ut nihil dissimulem, legitur de genere quodam Vestimenti: *ut vulgo dicitur*, *Joppa*, et de Nobilium Insignibus gentilitiis: *quae in vulgo Bohemorum dicuntur Klenot, et in lingua theutunica* (Ms. *Herb*) *Erb.* At quaeri possit, an non haec a Librario Bohemo, qui Opus nostrum Popularibus suis adaptare voluerit, primum margini adscripta γλωσσηματα deinceps in Textum irrepserint, ut saepe factum, et vel hic fieri potuisset, ubi praeter dicta in Textu ad marginem insuper notatur: *Bohemorum dicitur Klenott.* To *Joppa* olim etiam ad Anglos pervenisse ex illorum *Gippo*, *Jub*, *Jump* liquet. *Septimo fol.* 97. *edit.* p. 541. *Signeta faciunt.* Haec quoque Vox a Normannis in Angliam delata vix apud Bohemos obtinuerit. Ex his penes Lectorem judicium esto, num Tractatus *de Abominatione* non magis *Wiclefo* tribuendus sit, id, quod fortassis agitari etiam possit de Quaestione: *Vtrum liceat Clerum pro Concione corrigere.* Vide *Cod.* CCCCIV. n. 10. Ceterum malam fidem Editorum *Hussi*, quod jam *Cod.* CCCXCVII. feci, rursus accusare cogor. Ita speciminis ergo *fol.* 17. p. 2. ubi *Codex* de Clericis: *non solum quoslibet plebeios decipiunt et peruertunt sed et summum apicem ecclesie ipsum papam*, ipsi p. 484. impressere: *sed etiam summum apicem et creatorem suum papam*, additis *mendosis Bullis*, de quibus nihil in *Codice.* *Fol.* 55. p. 2. pro: *et omnia armamenta habent in domo Domini*, posuere p. 512. *Romana armamenta.* *Fol.* 58. p. 2. ad: *consuetudinum et rituum ecclesie*, p. 514. addidere *Romanae.* &c. Nisi dicere malis, eos ad procurandam Operum *Hussi* editionem corruptis jam olim *Codicibus* usos fuisse.